

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Delicie d
cum fonte primo

Corporales delicie cum non habentur graue
in se desiderium accidunt.

Cum uero habite eduntur,
comedentem protinus in fastidium uertunt,
ac contra spirituales delicie cum non habentur in fastidio sunt,
cum habentur in desiderio.

In illis appetitus saturitatem saturitas fastidium generat,
in istis autem saturitatem appetitus saturitas appetitum parit.
Augent enim spirituales delicie desiderium in mente dum saciant.

Gregorius in omelia.

Hoc distare, fratres carissimi,
inter delicias corporis et cordis solet, quod
corporales deliciae cum non habentur graue
in se desiderium accidunt;
cum uero habitae eduntur,
comedentem protinus in fastidium per satietatem uertunt.
At contra spirituales deliciae cum non habentur in fastidio sunt,
cum uero habentur in desiderio;
tantoque a comedente amplius esuriuntur,
quanto et ab esuriente amplius comeduntur.
In illis appetitus placet, experientia displicet,
in istis appetitus uilis est et experientia magis placet.
In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat,
in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit.
Augent enim spirituales deliciae desiderium in mente, dum satiant,
quia quanto magis earum sapor percipitur,
eo amplius cognoscitur quod audius ametur.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2.36.1 (CCSL 141, R.
Étaix ed., pp.331-2, ll.1-13).